



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Carissimo In Christo filio Imperatori Constantinopolitano illustri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

impleatis quod promptos vos ostendatis orthodoxæ fidei zelatores, & nos diligentia vestrae studium possimus merito commendare. Datum Laterani.

*CONSULIBVS SOCIETATIS
beati Eusebii Vercellensis.*

*Epist. 34.
Commendatur de devotione erga Romanam Ecclesiam*

Dilectum filium nobilem virum Ambrosium concivem vestrum ad nostram presentiam accedentem cum gratia speciali recepimus & favore, ac iis quæ tam ipse proposuit viva voce quam etiam presentata nobis per eum vestrae litteræ continebant perspicue intellectis, prudentiam vestram duximus in Domino multipliciter commendandam super devotionis affectu quem erga nos & Romanam Ecclesiam gerere vos ostenditis & zelo nihilominus caritatis quem ad generalem profectum fraternæ universitatis habetis. Moneamus ergo devotionem vestram & exhortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus in bono proposito persistentes, ad honorem Dei, utilitatem Ecclesiæ, salutem animarum vestrarum, & communem uniuscujusque profectum vos taliter habeatis quod ille qui bonorum est omnium retributor, piis vestris operibus provocatus, gratiam vobis augeat in presenti & gloriam in futuro, nos quoque, qui quantum cum Deo & nostra possumus honestate vos intendimus honorare, ad dilectionem & profectum vestrum fortius accendamus. Datum Laterani.

*ARCHIEPISCOPO VERISIENSI,
& Episcopo Salembriensi, & Præposito
sanctæ Sophiæ Constantinopolim.*

*Epist. 35.
De Hospitali S. Georgij.*

Porrecta nobis dilectorum filiorum Præpositi & Decani sancti Georgij Constantinopolitani querimonia patefecit quod fratres Hospitalis Ierosolymitani, Dominus de Lamro, & quidam alij Constantinopolitani super Hospitali sancti Georgij, quibusdam redditibus, & rebus aliis mobilibus & immobilibus injuriantur eisdem. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, audiat causam & appellatione remota sine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati &c. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani xvi. Kal. Aprilis, anno undecimo.

*DECANO, CANTORI,
& Thesaurario sanctæ Sophiæ
Constantinopolitani.*

Causam quam dilectus filius magister W. Clericus adversus fratres militiae templi Constantinopolitani super Ecclesia sanctæ Yomeniæ se habere proponit vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. Testes autem &c. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia.

*Epist. 36.
Committitur eis quædam causa adversus Templarios.*

*SANCTI PAVLI, SANCTI
Michaelis de Bucca leonis & sanctæ Anastasis Decanis Constantinopolitani.*

Missus ad presentiam nostram dilectus filius magister W. Cocart Sacerdos ab imperiali magnificentia & universitate cleri Constantinopolim commorantis nobis humiliter supplicavit ut si forte medio tempore in Ecclesia sua sanctæ Trinitatis & aliis redditibus suis fuerit molestatus à quoquam, indemnitati suæ consulere dignemur. Volentes igitur in iustitia sibi, prout tenemur, adesse, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus si quos in Constantinopolitana diocesi constitutos quicquam interim subtraxisse vel detinere de suis proventibus inveneritis, ad restituendum illud monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, sicut iustum fuerit, appellatione remota compellatis eisdem. Testes autem &c. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani vi. Kal. Aprilis, anno undecimo.

*Epist. 37.
Scribitur eis pro M. Vv. Cocart.*

*CARISSIMO IN CHRISTO
filio Imperatori Constantinopolitano illustri.*

Illo caritatis affectu imperialem celsitudinem amplexamur ut preces ipsius, quantum cum Deo & nostra possumus honestate, libenti exaudire animo cupiamus. Ea propter, carissime in Christo fili, tuis postulationibus inclinati, serenitati tuæ presentium auctoritate concedimus ut ab Archiepiscopis & Episcopis terræ tuæ necnon & ab aliis in imperio constitutis, à quibus sine scandalo recipere ipsam possis, fidelitatem recipere tibi liceat pro regalibus quæ à te habere noscuntur, dummodo talia illa sint pro qualibus ab hujusmodi consuevit aliis Principibus secularibus fidelitas exhiberi. Nulli ergo &c. nostræ concessionis

*Epist. 38.
De juramento fidelitatis quod Prælati debent Imperatori.*

concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani v. Kal. Aprilis, anno undecimo.

E I D E M.

Illo caritatis affectu &c. *ut in alia.* Sane per tuos nobis nuntios supplicasti ut sanctæ Mariæ ac sancti Michaëlis Ecclesias, quarum altera in imperiali palatio quod appellatur Blakerna, reliqua verò in eo quod dicitur Bucca Leonis est sita, sub speciali beati Petri & nostra protectione suscipere & à jurisdictione cujuscumque præterquam Romani Pontificis eximere dignaremur. Nos igitur supplicationibus tuis grato concurrentes assensu, prænomi- natas Ecclesias sub apostolicæ sedis & nostra speciali protectione suscipimus & præ- sentis scripti patrocinio communimus. In- telligentes quoque per quædam scripta quæ nobis inter petitiones venerabilis fra- tris nostri Patriarchæ Constantinopolitani à procuratoribus suis præsentata fuerunt quòd idem hoc debeat æquanimiter sus- tinere, præsentium auctoritate statuimus ut Ecclesiæ ipsæ nulli alij teneantur in spiri- tualibus quàm sedi apostolicæ respondere. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & con- stitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani v. Idus Martij, anno undecimo.

CAPITULO CRACOVIANI.

Diversis litteris à diversis collegij ve- stri partibus nobis missis in nostra dudum audientia recitatis, intelleximus tam per eas quàm per assertionem illorum qui partem fovebant utramque quòd bo- næ memoriæ F. Episcopo vestro rebus hu- manis exempto, cum cœpissetis de succes- soris electione tractare, quidam vestrum in venerabilem fratrem nostrum G. Plo- censem Episcopum convenerunt à sede apostolica postulandum, sperantes per in- dustriam & religionem ipsius Ecclesiæ suæ commoda multiplicia proventura. Quidam verò dilectum filium magistrum Vincen- tium Sudomiriensis Ecclesiæ diocesis Cra- covianis Præpositum, virum utique mul- timoda laude præclarum, unanimiter ele- gerunt. Auditis igitur diligenter & cogni- tis quæ super ipsa diversitate fuerunt utrin- que proposita coram nobis, licet utraque persona idonea conferretur, quia tamen etsi plures in postulatione prædicta visi sint ab initio consensisse, multi demum ex ipsis in electione dicti Præpositi consenserunt si forsam ipsam postulationem contingeret non admitti, & ad jus etiam ordinarium

Tom. II.

plus accedit ut Ecclesiæ de diocesi propria in pastorem vir provideatur idoneus quàm Episcopus alij Ecclesiæ alligatus, postula- tionem præfatam non duximus admitten- dam, & sic intelligentes electionem præ- dictam à pluribus de persona idonea cano- nicè celebratam, ipsam de consilio fra- trum nostrorum curavimus confirmare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eidem electo in spiritualibus & temporalibus tamquam pastori vestro de cetero respondentes, de- bitam & devotam obedientiam ac reve- rentiam sibi exhibere curetis. Datum La- terani v. Kal. Aprilis, anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO VERISIENSI, & Salembriensi Episcopo, & electo Nicomediensi.

Carissimus in Christo filius noster Constantinopolitanus Imperator il- lustris nostro apostolatu supplicavit ut Ec- clesias in imperio suo sitas, quæ imperiales dicantur, & non nisi duntaxat Imperato- ribus consueverant Græcorum temporibus respondere, in hac mandaremus consiste- re libertate ut Imperatori de temporalibus, nobis autem respondere de spiritualibus teneantur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, veritatem sollicitè inquiretis, & eas de prælibatis Ecclesiis quas vel à sui fundatio- ne liberas extitisse, vel per privilegium apostolicæ sedis exemptas, aut ruras præ- scriptione legitima inveneritis, in præscrip- ta facientes libertate manere, super aliis quas in statu repereritis libertatis, audiat quæ rationabiliter proposita fuerint à quocunque, ac nobis sub sigillis vestris fi- deliter remittatis, præfigentes partibus terminum competentem quo se cum eis nostro conspectui representent. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani v. Idus Martij, anno undecimo.

ABBATI ET FRATRIBVS monasterij Fossenovæ.

Solet annuere &c. usque assensu, ad Exemplar felicis recendationis Lucij Papæ prædecessoris nostri præsentium au- ditoritate statuimus ut per territorium Pi- pernense usuaria pascuarum & sylvæ ha- beat libera & quieta sicut à quadraginta retro annis inconcussè noscimini habuisse, ac ea quæ largitione fidelium vel commu- tatione aut etiam emptione ab hominibus Pipernensibus tam de peculiaribus rebus

V

Epist. 16. Communitas quodammodo adversus imperatorem.

Epist. 19. Ecclesia S. Mariæ de Blakerna & S. Michaëlis de Bucca Leonis communitas à potestate ordinis. Vide infra epist. 41.

Epist. 37. Tribuitur eis M. Vr. cart.

Epist. 41. De Ecclesiis imperialibus Constantinop.

Vide supra epist. 38. De Imperatoribus Constantinop.

Epist. 40. In commen- tu Vincen- tium Epis- copum.

Epist. 38. utramque rati debet ratori.

Epist. 42. De confirma- tione privile- giorum.